

URG

81

D.D.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-544523-p0001-6

DFG



3903  
ti-  
to-  
m-  
c-  
ciis  
&  
est.  
et/  
  
15.  
  
**DISPUTATIO**  
**INAUGURALIS JURIDICA,**

*Exhibens*

**EA, QUÆ CIRCA**  
**TURPIA JUSTA SUNT,**

*Quam,*

**DEO cœlitus benedicente**

*Ex*

*Authoritate ac Decreto*

*Magnificæ, Nobilissimæ ac Excellentissimæ*

*Facultatis Juridicæ in Inclyta Academias MARPURGENSI,*

*Pro*

*Summis in utroque jure Honoribus & imunitatibus*

*DOCTORALIBUS ritè ac solenniter  
adipiscendis,*

*Publica Senatus Academicus Ventilationi sistit*

**JOHANNES HENRICUS**  
**VETTE, Osnabrugensis.**

*Addiem Junii, ANNI M. DC. LXXIX.*

*Loco horisq; solitis.*

39 15


1679, 2.

39

*Marpurgi Cattorum,*  
*Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.*



DEO  
PATRIÆ  
PATRONIS  
FAVTORIBVS  
COGNATIS  
AMICIS  
&  
INIMICIS.



15.

### Theorema I.



Urpitudo quamvis in genere injusta quoq;  
& illicita includat, in specie tamen & signa-  
tè ad ea saltem, quæ honestati & decori ad-  
versantur, pertinet.

### II.

Estquè vel naturalis vel civilis, & hæc itidem vel juris  
vel opinionis.

### III.

Naturalis turpitudo in adulterio, homicidio, furto,  
insidiis, violentia, parricidio, præterquam in perduelle  
commisso & similibus, eminet: Quibus incestus quoquè  
non minus inter ascendentes & descendentes, quam et-  
iam collaterales primi gradus annumerari debet.

### IV.

Civilis & quidem juris respicit potissimum facta à le-  
ge ad finem vel simplicis prohibitionis vel infamiae infli-  
genda notata. Opinionis verò quævis, quæ eundem ob fi-  
nem honestorum virorum censuram merentur.

### V.

Quò etiam pactum sub pœna infamiae initum & non  
servatum referri debet, licet infamiam propriè sic dictam  
non irroget.

A 2

VI. De

S

## V I.

De variis autem Turpitudo prædicatur. Et personas quidem singulare quoddam delictum factive indecentia reddit turpes. Unde levis notæ maculâ aspersi turpes dic non merentur, licet quoad certos effectus iisdem comparentur.

## VII.

Similiter nec sola vitæ vilitas turpitudinem infert. Proindè si persona alicujus conditionis ancillam, de qua nihil turpe monstrare possit, imprægnaverit, tenetur eam uxorem ducere aut dotare.

## VIII.

Non tamen vili personæ permittitur, actionem dolii contra honoratiorem seu vitæ emendationis instituere.

## IX.

Quamprimum verò turpitudo est contracta, officit dignitati adipiscendæ & adeptæ. Unde turpis persona ad Assessoratum in Camera non admittitur, quantumvis per subsequens matrimonium legitimata fuerit.

## X.

Senator, Judex & Advocatus ob turpitudinem à Senatu & functione consueta rem overi possunt. Procurator verò turpis admittitur, quamquam hodiè secus sit.

## XI.

Si tamen puellam à se vel alio imprægnatam uxorem duxerit Senator, cessat & turpitudo & motio.

XII. No.

92 5 26

XII.

Nobilitas etiam vitæ turpitudine perditur, in tantum, ut non mutatis moribus, sed solâ Principali gratiâ ac restituzione redeat.

XIII.

Turpis persona honestam adoptare non potest, nequè turpis arrogandi causa in utroque sexu admittitur.

XIV.

Turpe & ignominiosum est, personas, quibus reverentia debetur, obtorto collo in jus rapere, & contra eas famosas actiones intentare. Turpissimum verò eas, vel quascunque alias ex domo sua extrahere. Unde sine ulla indulgentia capite punitur, qui matrem familiâs ob debita de domo extrahit.

XV.

Dans aliquid pro redimenda vexa turpitudinem & dehinc manantem infamiam non evitat, nisi per calumniam datum sit extortum, cuius & repetitio conceditur.

XVI.

Turpis persona metu mortis ad promittendum vel præstandum aliquid adacta, restituitur in integrum, licet in ipso flagitio v.gr. furto vel adulterio fuerit deprehensa.

XVII.

Violentum stuprum passa non omnem turpitudinis maculam evitat, si pecuniâ vel occidente stupratoris id avertere potuit.

A 3

XVIII.

sonas  
entia  
es di-  
com-

nfert.  
e qua  
r eam

m doli  
ere.

officit  
ersona  
rumvis

n à Se-  
urator

xorem

II. No-

15.



( 6 )  
**XVIII.**

Turpitudo personæ muneri quidem judicandi, non  
verò arbitrio per compromissum suscipiendo officit.

**XIX.**

Peregrinantes ob notoriam turpitudinem hospitiis  
arceri, ob compertam verò deinceps ejici possunt & de-  
bent.

**XX,**

Advenientibus tamen honoratioribus & digniori-  
bus, viliores hospitio jam recepti neutiquam expellendi  
sunt, nisi superioris cuiusdam legatus vel alia persona Illu-  
stris fuerit. Quo tamen casu expulsis alia divertendi oc-  
casio præstanda.

**XXI.**

Servi in turpitudinem prolapsi & occisi æstimatio ex  
Lege Aquilia peti potest.

**XXII.**

Manifestæ turpitudinis est jurare nolle, etiam quan-  
do à turpi aut infami persona juramentum fuit delatum.

**XXIII.**

Turpis persona testis tutoris ac nuncii judicialis par-  
tibus fungi, itemquè retrahendi facultate uti nequit.

**XXIV.**

Conjugalem vitam inquinans & sufficienter proba-  
ta turpitudo, facit locum torturæ vel quandoquè juramen-  
to purgatorio, & post hujus recusationem coercitioni sive  
pœnæ arbitrariæ.

XXV. Si

7

**XXV.**

Sitamen ambo conjuges simul turpiter vixerint, delictum cùm delicto quoad civilem actionē compensatur.

**XXVI.**

Unde nec mulier adultera amittit dotalitium, quando maritus quoquè adulterium commisit. Idem obtinet, quando uxoris adulterium dissimulavit, vel instar lenonis lecti sui contumeliam vectigalem habuit.

**XXVII.**

Vidua intra annum luctus turpiter vivens amittit successionem, usumfructum, donationem propter nuptias, aliudve lucrum à marito relictum, itemque ejus privilegia, non verò dotalitium.

**XXVIII.**

Sponsalia quantumvis de præsenti ex parte tam sponsi, quam sponsæ propter turpitudinem & antecedentem & concomitantem dirimi possunt. Idem dicendum de matrimonio, etiam quoad vitia antecedentia ex parte tam solius mulieris, quæ ante matrimonium turpiter vixit, non etiam mariti.

**XXIX.**

Turpis quæstus evitandi gratiâ præsumitur mulier omnia ex bonis mariti acquisivisse, nisi marito fuerit dotor, & præter dotem multa bona paraphernalia habeat.

**XXX.**

Concubinatus per se res turpis est, nequè liberi inde suscepti honorifico legitimorum titulo exornantur.

**XXXI. Nul-**



## XXXI.

Nulla verò turpitudo inest matrimonio Lege Salicā contracto, sed illud non minus honestate, quām utilitate fulcitur, licet plerisque aliud placeat.

## XXXII.

Meretrices dubio procul turpes sunt, proindequè vel simpliciter vel sub certi compendii sive canonis præstatione nullatenus tolerandæ.

## XXXIII.

Etiam si stuprata post vitium illatum turpiter vixerit, tamen à stupratore est dotanda.

## XXXIV.

Fratri competit querela inofficiosi turpi personā institutā; quantumvis ipse simili maculā laboret, potestquè hoc casu totum testamentum, non verò usquè ad legitimam, ut quidam volunt, impugnari.

## XXXV.

Aliud obtinet si turpis persona cum alia honesta & intemperatæ famæ heres institutā, repudiaverit, tum enim exclusâ querelâ fit locus juri accrescendi.

## XXXVI.

Sic quoquè beneficium querelæ cessat, quando fœmella, quæ nimio amoris æstu flagrans alteri corporis sui copiam fecit, à fratre instituta est.

## XXXVII.

Turpibus personis alimenta necessaria legari possunt, nequè unquam in aliqua prohibitione censetur facta exclusio legati alimentorum.

## XXXVIII.

9  
**XXXVIII.**

Affectionis gratiâ turpi personæ donari potest, præterquam à milite focariæ. Quod rectè etiam ad milites legalis seu togatæ, multò magis verò cœlestis militiæ, qui concubinas habere prohibentur, extenditur.

**XXXIX.**

Mater turpis vitæ abjectæquè pudicitiæ non habet jus revocandæ donationis, tametsi filius ingratitudinis insimulari & convinci possit.

**XL.**

Propriæ turpitudinis allegatio odiosa & prohibita est. In agendo tamen & excipiendo admittitur, quando peccatum subest, & periculum animæ vertitur.

**XLI.**

Ut turpitudinis mancipia prodantur & profligentur potest & debet magistratus in ea inquirere, & pro qualitate facti vel punire vel territorio prorsus ejicere.

**XLII.**

Quod multò magis in pessima illa nequitiosorum, superstitionum & ad mala quævis proclivium hominum colluvie, puta Zigaris verum est, qui proindè etiam privatæ cuiuslibet vindictæ prostant.

**XLIII.**

Nequè dubitandum, quin Magistratus ob talem inquisitionem omissam removeri possit, tametsi turpis facti rei inter se transegerint.

B

**XLIV.**



¶( IO )¶

XLIV.

Privati quoquè si turpitudine & vitiis inquinatos deprehendant, licetè eos occupare & ad Judicis tribunal pertrahere possunt.

XLV.

Et ut tantò magis religionis, pietatis, honestatis, dignitatis & officii regulæ observentur, peccandi verò & scandalizandi protervia amputetur, rectè judicia Censoria in bene constituta republica instituuntur, eorumquè virtute turpia quævis & indecora à delatoribus tum publicè constitutis, tum quibusvis aliis propalata, si leviora sint, puniuntur, si graviora, Judici superiori deferuntur.

XLVI.

In specie verò Censorum animadversio locum habet: Si religio & cultus divinus contemnatur & negligatur, blasphemias, perjuriis, meledictionibus, incantationibus, & superstitionibus Deus offendatur, foedi congressus atq; lenocinia deprehendantur compotationes, dissipations, fœnora, ludi immodici usurpentur, in contumelias rixas & verbera subditi prolabantur, contractus fraudulent & simulati ineantur, termini illicite ponantur vel mutentur & denique quælibet injustitiæ genera exerceantur.

XLVII.

Tyrannus, qui nullo jure summum Imperium involvavit, tanquam juratus & apertus reipublicæ hostis justè submoveri & occidi potest.

XLVIII.



( II )

XLVIII.

Qb administrationem verò turpissimam , injustissimam & tyrannicam imperans in casu notoriæ & extremæ necessitatis, seu quando leges fundamentales, in quas tempore electionis juravit, itemquè omnia pietatis, juris & honestatis repugula perfringit, rectè removetur.

XLIX.

Unde cessat remotio in regno hæreditario, itemquè electitio, quando absoluta & illimitata fuit electio.

L.

Turpes personæ feudorum incapaces sunt. Et licet deportati jure novissimo ad liberos, si quos habent, bona post acquisita transmittant, tamen feuda acquirere & ad heredes devolvere nequeunt.

LI.

Porrò religiosam fidei observationem quævis iura postulant. Proindè pactum etiam cum hoste, prædone & hæretico initum inviolabiliter servari debet.

LII.

Pacta turpem causam continentia neutquam sunt servanda, dummodo turpitudinem committendam non commissam respiciant. Unde nec Princeps crimen futurum condonare potest.

LIII.

Non valet etiam pactum, ne dolus futurus in contratu præstetur, quanquam ne depositi agatur, validè inter partes agi possit.

B 2

LIV.

## LIV.

Beneficium competentiæ si in pactum dederatur,  
nulla turpitudinis ansa ex parte vel creditoris vel debito-  
ris emergit.

## LV.

De quota litis pacisci turpe est, cumquè juramentum  
desuper præstitum calumniarum incitamentum sit, ac non  
minus tertium quām rem publicam lædat, hinc ne jure  
quidem Canonico servandum est.

## LVI.

Idem haud dubiè de palmario afferendum, nisi lite  
jam finitâ & victoriâ adeptâ promissum fuerit.

## LVII.

Pacta successoria licet ob turpe votum captandæ  
mortis de jure reprobentur, moribus tamen seu intrinsecè  
bona & neutiquam bonis moribus contraria rectè to-  
lerantur.

## LVIII.

Licita est transactio de turpitudine in tale crimen in-  
cidente, quod vel ordinariè vel extra ordinem ob concur-  
rentes circumstantias ultimo suppicio puniri potest. Et  
quidem ex parte tam accusatoris, quām rei.

## LIX.

Unde nil impedit, quò minùs etiam de parricidio,  
perduellione, falso atque raptu transigi possit. Quod  
& hodie de adulterio in illis locis, ubi poena capitali pu-  
nitur, verum est: Crimina verò reliqua, licet æquè tur-  
pia sint, transactionem non admittunt, quamvis pœ-  
nam

nam fustigationis , mutilationis membra aut perpetui  
carceris habeant.

## LX.

Turpiter non facit , qui dolum bonum adhibet.  
Unde nec Advocate interdictum dolo bono ad obtinen-  
dam causæ victoriam uti.

## LXI.

Turpitudo criminum accusatori Procuratorem de-  
negat , itemque reo defensorem , quando poena relega-  
tionis vel gravior subest. Momentum tamen causæ ,  
multò magis verò absentiæ , si absens reus condemnari  
possit , per mandatarium rectè tractatur.

## LXII.

Turpia lucra heredibus quoque extorquenda. Non  
tamen obligantur ultra ea , licet nullum fecerint inven-  
tarium.

## LXIII.

Quæstus turpiter & inhonestè percepti per hæredi-  
tatis petitionem à possessore rectè avocantur , neuti-  
quam verò fisco acquiruntur.

## LXIV.

Malæ fidei possessor de fructibus quoque percipi-  
endis tenetur , dummodò non turpiter sed honestè per-  
cipi potuerint.

## LXV.

Nullum turpis mendacii velamentum in actione  
publiciana subest , sed vera & naturalis æquitas.

14

LXVI.

Injuriosè, contumeliosè & turpiter usufructuarius uti nequit, instantum, ut Magistratui providere incumbat, ne recipiantur personæ inhonestatis suspicione labo- rantes.

LXVII.

Libri improbatæ lectionis & in quo turpia conti- nentur, non ad finem divisionis sed corruptionis in judi- cium familiæ herciscundæ veniunt.

LXVIII.

Non minùs tenetur ob turpitudinem, qui eam com- mittit, quàm qui ei committendæ occasionem præstat.

LXIX.

Si uxor liberi famuli aut subditi ad turpia incitati, utilis servi corrupti actio etiam ipsis corruptis datur. Quod secus est, quando iidem ob domini, patris aut ma- riti sævitiam ex misericordia recepti.

LXX.

Ludi sive arte sive fortunâ subnixi per se turpes ac inhonesti non sunt, proindeque non obstante canonum prohibitione certis sub conditionibus etiam Clericis per- mitti possunt.

LXXI.

Ex asse quoque tenet iuramentum, quod super pecunia in ludo perdita præstanda vel non repetenda inter- positum, licet ludus fuerit illicitus.

LXXII.

Turpitudinis tamen & multorum malorum evitan- dorum

dorum gratiâ receptatoribus aleotorum, sive in pecuniam fortunæ ludis ludentium injuria affectis rectè actio dengatur. Quod hodie ad levem saltem injuriam restrin-  
gi solet.

## LXXIII.

Receptum & hoc odio ludi ptohibiti, ut sciens se emere à Iusuro, ad evictionem præstandam agere ne- queat.

## LXXIV.

Sponsio super causa præterita quantumvis turpi interposita valet. Futura verò turpis protinus reprobatur, nisi asseveres de turpia non admissurum, alter verò contrarium dicat.

## LXXV.

Super morte Principis sponsio neque interponi, neque interposita admitti debet, turpe enim & incivile, imò publicè quoque nocivum, captare & sperare mortem Principis.

## LXXVI.

Sponsio tamen super artis saltatoriæ sive palæstricæ præcellentia, seu quisnam ex duobus egregiis saltatoribus sit victurus, nequaquam pro turpi, sed valida judicanda.

## LXXVII.

Nihil referre existimamus utrum extra causam ludi, an verò lusus gratiâ sponsiones fiant, omnes enim, si turpitudo absit, pro validis reputandæ.

## LXXVIII.

Ob fœnus illicitum justè denegari potest sepultura.

Si

16

Si tamen hæredes usurarii de excessu usurarum restituendo caveant, æquius est, honestam permitti sepulturam.

LXXIX.

Pecuniam in turpem usum scienter alicui mutuò duns, neutquam eam condicere potest.

LXXX.

Juramentum in se continens turpitudinem, sive honestati naturali ac bonis moribus, itemque publicæ utilitati repugnans aut proximum offendens, protinus irritum est, ita ut nec absolutionem requirat, ac citra perjurii metum contemni possit.

LXXXI.

Quare nec juramentum vires habet, quod latronide violentia illata non indicanda præstitum.<sup>1</sup> Ut tamen eò magis conscientiæ consulatur, solet non rarò relaxatio adhiberi.

LXXXII.

Perjurium turpe & punibile est, quantumvis gentilis sive infidelis, cum quo fortè negotium est, perfalsum Deum juraverit.

LXXXIII.

Dans aliquid Judici, ut in bona etiam causa pro sc pronunciet, ad condictionem ob turpem causam non admittitur, possessore quippe in pari causa prævalente.

LXXXIV.

Aliud dicendum, cum quid datum pro maturanda sententia, nisi fortè Judex eo animo differat sententiam, ut partem ad dandum compellat.

LXXXV.



17 26

LXXXV.

In Aleatoribus speciale est, ut quamvis & victi & vi-  
ctoris in ludo illico subsit turpitudo, tamē amissum solu-  
tumque perpetuò etiam post triginta annos repeti possit.

LXXXVI.

Idem obtinet, quando solutio ex inevitabili præce-  
dantis promissionis necessitate emanavit, sicque à no-  
lente facta est.

LXXXVII.

Si de turpitudine apertè liquet, promissio rei turpis  
ipso jure nulla est. Alioquin verò obligatio subsistit, & vi  
exceptionis elidi debet.

LXXXVIII.

Exceptionem tamen omittens & spontè solvens da-  
tum condicere nequit, quamvis enim causa promissionis  
infirmari possit, causa tamen turpitudinis tanquam poten-  
tior remanet.

LXXXIX.

Non tam factum meritricis approbant, quām dan-  
tem potius deditantur jura, quando huic contra illam  
condictionem ob turpem causam denegant.

XC.

Promissa tamen meritrici merces vel conventione  
cessante tantum, quantum prostibulo dari solet, nullā  
actione peti potest.

XCI.

Condicio furtiva est actio dativa, anomala & irre-  
C gularis,

gularis, neque causativè ex furto naturaliter turpi, sed ex  
lege subtractionem coērcente, descendit.

**XCII.**

Ex turpi institoris facto præponens neutiquam tene-  
tur, nisi ipsam officii administrationem concernat.

**XCIII.**

Tametsi turpitudinis avertendæ gratiâ SCtum Ma-  
cedonianum introductum sit, tamen filiofamilias turpe  
foret eo uti , si legatus esset, vel in aulis principum ser-  
viret.

**XCIV.**

Pater ob turpe factum peculiotenus non tenetur,  
nisi secutâ demum condemnatione.

**XCV.**

Qui turpes sumptus domino volente fecit, actione  
de in rem verso eos repetere potest.

**XCVI.**

Mulier vestem induens virilem & pro alio interce-  
dens & turpiter facit, & turpiter decipit, quare beneficio  
Vellejani non juvatur.

**XCVII.**

Prædones utut turpiter vivant & agant, ex contractu  
tamen cùm ipsis inito validè agere possunt, jura enim ma-  
gis causam proximam, quam remotam inspiciunt.

**XCVIII.**

Si quis ad mandatum turpiter & luxuriosè viven-  
tis adolescentis pro meretrice fidejusserrit , nullum co-  
nomine contra mandantem habet regressum.

**XCIX.**

19 26

XCIX.

Rei turpis mandatum oppidò nullum est , licet juramento firmatum fuerit. Unde vel mandans ad ejus implementum , vel mandatarius ad indemnitatē agere nequit. Si tamen mandatum impletum fuerit , mandatarius & mandans obligantur, & quidem ex privato delicto lœso , ex publico verò reipublicæ.

C.

Proinde si mandatum de occidendo datum fuerit, secuto homicidio uterque ordinariâ pœnâ punitut. Quod secus est , si mandatum de vulnerando datum , tūm enim post occisionem mandatarius ordinariè , mandans verò extra ordinem coërcetur.

CI.

Prorsus verò immunis à pœna est magistratus , qui mandavit aufugientem ex carcere ad eum reduci, si ministri nolentem reduci interfecerint. Idem obtinet , si quis alicui gladium commodavit, cùm quo homicidium commissum, vel si quis mandavit possessionem custodiri & resisti illam ingredientibus , custodes verò resistentes interficiant.

CII.

Mandatum ad delinquendum & occidendum datum esse non præsumitur, nisi præcesserit inimicitia capitalis , colloquium cùm homicida & mors è vestigio secuta fuerit.

CIII.

Ratihabitio in maleficiis sive factis turpibus æquipa-

C 2 ratur



ratur mandato, dummodo delictum nomine ratum habentis commissum, & ab eo tanquam suo nomine gestum ratificatum fuerit.

CIV.

Unde dejecisse videtur, qui dejectionem ejus nomine factam ratam habuit. Et violenta manus injectio clero tuo nomine facta & à te ratificata, excommunicationem operatur. Sicut injuriarum quoque tenetur, qui ratificavit injuriam alteri illatam.

CV.

Neque cum quibusdam delicta meram offendiculum implicantia & alterius quoque ministerium admittentia, ab iis quæ libidinis causa fiunt, & per alios, ut volunt, haud patrari possunt, secernimus.

CVI.

Quò minus proinde contumelia per stuprum vel adulterium illata, rata haberi possit, nulli dubitamus.

CVII.

In privatis tamen delictis licet ratihabitio ordinariam actionem producat, in publicis tamen poenâ duntaxat extraordinaria ratificatorem coerceri, æquius censemus.

CVIII.

Sitamen is, cuius nomine homicidium commissum, ratificaverit & pecuniam remve aliam occisori dederit, ordinarii supplicii rigorem adhiberi posse, quorundam sententia est. Censemus tamen & hic tutius esse rigoris laxamentum.

CIX. Con-

21 25

CIX.

Consilium ad rem turpem sive delictum committendum directum, nullam inter Consultorem & Consilium accipientem producit obligationem, sive ex voluntate sive ex necessitate acceperit.

CX.

Quod tantò magis procedit, quando consilium non saltem ex parte consultoris, verùm & accipientis fraudulentum est.

CXI.

Quoad tertium tamen exinde lèsum validam nasci obligationem constat, sive delictum fuerit privatum sive publicum.

CXII.

Quod haud dubiè verùm de ipso accipiente & delinquentे. Unde filia ab ordinaria incestus cum patre commissi pcena non liberatur, licet persuasionem patris prætendat, nisi vel ætatis aut simplicitatis ratio vel persuasorum frequentia aliud suadeat.

CXIII.

Idem tamen de Consultore quoquè afferendum, ita ut si mala intentione consilium dederit, & rationes inducivas ei, qui sine illo consilio nunquam deliqueret vel occidisset, delicto secuto ordinariæ pœnæ subjici possit.

CXIV.

Eadem locum invenit, cum quis accipientem de delicto delberantem, & mente adhuc dubium animat, hor-

C 3

tatur

tatur & cum suggestione modi & commoditatis ad delictum subito & velociter execundum instigat, sine quo forte delictum alias commissum non fuisset.

### CXV.

Imò si atrocitas criminis subest, & pessimum exemplum, consilium etiam ad aliquem actum externum, licet non extreum deductum, ordinariè punitur. Quod verum quoquè in delicto non atroci, si consilium à legenotatum.

### CXVI.

Cæterùm si accipiens sine consilio certò delinquisset, vele effectus, aut prorsus non, aut tamen aliis secutus, aut commisso jam delicto consilium & media evadendi subministrata, arbitrariam saltem pœnam consultor sustinet.

### CXVII.

Quæ de tertio dicta sunt, procedunt quoquè in ipso accipiente, doli & fraudis haud partice. Dolosus siquidem consultor ad damnum & interesse ei obligatur, & à judice pro modo delicti punitur.

### CXVIII.

Unde læsio per venenum à Medico dolosè præbitum illata, arbitrariè coercetur, paritquè læso actionem ad interesse. Si verò mors inde secuta, Consultori supplicium latronis dictatur.

### CXIX.

Rei turpis atquè inhonestæ societas ipso jure nulla est. Unde pro eo, quod Monopolio illico vel alea quæsum est, non nascitur actio pro socio.

### CXX.

## CXX.

Si verò rei honestæ ac licitæ contracta sit societas, quædam autem sociorum unus turpiter quæsivit vel amisit, tum neutquam hoc ex communi consequitur, nec illud communicare obstringitur, licet societas in specie omniū bonorum fuerit contracta.

## CXXI.

Unde si inter conjuges vel conventionalis vel statutaria fuerit bonorum communio, meritò pœnam delicto præstitutam alteruter saltem, qui deliquit, sufferet.

## CXXII.

Quod tamen injustâ judicis condemnatione extortum, meritò consocii præstant, turpitudine ita non condemnatum, sed condamnatum concomitante.

## CXXIII.

Sic quoquè inter socios fit commune, si turpiter quæsum spontè fuerit illatum, in tantùm ut non nisi secutâ condemnatione ad restitutionem teneatur.

## CXXIV.

Consistit autem restitutio in solo illato, si inscientibus sociis collatio facta. Scientia verò obligat simul ad pœnæ deductionem, etiam societate finitâ.

## CXXV.

Ancilla contra pactum venditioni adjectum turpiter prostituta, propriâ authoritate abduci potest, adeò ut ne pacti quidem remissio ut potè delicti illativa toleretur, sed vendor prostitutionem admittens, potestatem & manus injectionem admittat.

## CXXVI.



**CXXVI.**

Locator conductorem ob abusum moralem, veluti  
meretrices inducas, ante tempus expellere potest, æquè  
ut ob Physicum.

**CXXVII.**

Turpitudinis, malitiæ & falsitatis præsumptio militat  
contra eum, qui nationis est infamatae, quanquam hæc nec  
constans semper, nec certa sit.

**CXXVIII.**

Evictio ejus servi nomine præstanda est, quem quis  
omni turpitudine carere palam & certò commendavit.

**CXXIX.**

Nullus verò contra authorem conceditur regressus,  
quando turpibus judicis sordibus vel imprudentiâ quic-  
quam periit.

**CXXX.**

Turpes prorsus & mordaces sunt usuræ, quæ merum  
creditoris lucrum respiciunt.

**CXXXI.**

Instrumentum à persona turpitudine eominaculata  
productum, suspectæ habetur fidei.

**CXXXII.**

Turpissimè agit testis, quando pro veris falsa, pro cer-  
tis incerta, pro perspectis dubia deponit, unde & propter  
mendacium torturæ subjici potest.

**CXXXIII.**

25

CXXXIII.

Turpe est, juris scientiam profitenti, vel causas in foro oranti, jus ignorare. Unde turpitudinem allegaret minor, qui ad honores vel Doctoris vel Professoris subiectus, propter juris errorem restitutionem peteret.

CXXXIV.

Error facti turpia facta non raro excusat, mulier enim ab aliquo, quem maritum esse putabat, compressa, adulterium non committit, neque poenam incurrit, qui nuptam ceu innuptam cognovit, & incestus ex errore commissus excusat.

CXXXV.

Aliter servatur in homicidio. Cajum enim occisurus, si ex errore Sempronium intervenientem occidat, poenam gladii subire cogitur, adeo ut ne quidem jus aggrandi locum habeat. Idem obtinet in injuriarum actione, quippe a qua non liberatur is, qui Sejum contumeliâ afficit, cum putat Titium esse.

CXXXVI.

Judex quoque ex errore & imperitia male judicans ex quasi delicto tenetur, neque Medicus errorem suum praetextu humanæ fragilitatis obumbrare potest. Qua de causa etiam ob levissimam culpam tenetur.

CXXXVII.

Errore in juris merè civilis factum turpe in certis subjectis excusare constat. Juris vero naturalis aut gentium error in levioribus & privatis delictis a dolo, non itidem a lata culpa excusationem praestat.

D

CXXXVIII.



( 26 )  
**CXXXVIII.**

Rusticitas sive simplicitas justum quandoquè turpitudinis velamentum est. Unde quoquè fit, ut parcatur ei, qui per rusticitatem in titulis Principum peccavit.

**CXXXIX.**

Tametsi insignis causarum matrimonialium favor sit, turpis tamen conditio, licet substantiam matrimonii non officiat, sponsalia prorsus vitiat. Modus verò turpis matrimonium non concernens remitti solet.

**CXL.**

Turpis res senilis amor. Sitamen fœmina appetat matrimonium Senis etiam decrepiti, admitti debet, nisi impudicitiam & turpitudinem ejusmodi conjunctione ve-  
lare intendat.

**CXLI.**

Turpis & adulterina vita non arcet adulterum ab  
uxoris adulteræ conjunctione, dummodò morte, non ve-  
rò divortio à priori marito fuerit separata.

**CXLII.**

Connubia parentum consensu ineunda, eorumquè  
voto, provisioni ac desiderio neutiquam refragandum, nisi  
filiæ sponsus turpitudine inquinatus obtrudatur.

**CXLIII.**

Non potest inter conjuges conveniri, ne ob res amo-  
tas agatur, cum paœta dotalia ad turpitudinem incitantia à  
jure reprobentur.

**CXLIV.**

Conjugem plus affectu, quam judicio amare, turpe  
& indecorum censem canones. Unde jam dudum quoq;  
Romani

926 27 126

15.

Romani donationes inter conjuges prohibuerunt, ne ni-  
mio amore sese spoliarent. Concubinæ tñ. donari potest.

CXLV.

Sancta connubiorum fides sub alio, quam adulterii,  
malitiosæ desertionis & stupri ante nuptias sive virginis sive  
viduæ illati prætextu, turpiter rescinditur. Quare ne bonâ  
quidem gratiâ divortia fieri possunt, licet conjux altero  
consentiente vel etiam uterque monasticam vitam elige-  
re velit.

CXLVI.

Turpis bonorum dissipatio non impedit, quo minus  
liberi alendi sint, nisi bona per divisionem paternam ob-  
tenta perdiderint.

CXLVII.

Licet tutor ad hostes transfugiat, turpique hâc de-  
fectione fidem frangat, non tamen tutor esse desinit, licet  
interim alias surrogetur.

CXLVIII.

Pater filium etiam turpissimum, impiissimum & ma-  
lè de se meritum, validè heredem instituere potest.

CXLIX.

Extraneum verò verbis contumeliosis & diffamato-  
riis nemo rectè instituit. Unde nec valent legata turpia,  
sive notandi legatarii causa ascripta, aut ad turpe vel inhu-  
manum committendum impellentia, veluti ut testatoris  
manes in mare projiciat.

CL.

Quemadmodum filia turpem eligens vitam exhere-  
dari

D 2

dari



dari potest, ita etiam turpis & luxuriosa vita parentum justam amittendæ successionis causam præstat.

## CLI.

Non tamen turpitudo per se privat successione legali. Imò si mores parentum fuerint æquales, ne testamento quidem auferri potest. Unde meretrix mater meretriculam filiam exheredare nequit.

## CLII.

Exhereditatio quæ bonâ mente fit, inter causas alias, etiam ob turpes liberorum mores, tam ad tempus quam in perpetuum fieri potest, & cadit hæc quoquè in parentes, jurequæ novellarum neutiquam est sublata.

## CLIII.

In dubio tamen exhereditationem malâ potius, quam bonâ mente factam esse præsumi debet, nisi conjecturæ aliam præsumptionem inducant.

## CLIV.

Turpis conditio in jure habetur pro impossibili. Ultimis tamen voluntatibus adjecta non viciat, sed vitiatur, nisi suo heredi ascripta fuerit.

## CLV.

Unde si usus ædium uxori sub conditione, si à marito diverterit, relictus fuerit, poterit eā cum marito contra testatoris elogium licet uti. Sic institutionis & legati nihilominus capax est, qui in gradu prohibito & nullam dispensationem admittente, uxorem ducere jussus est.

## CLVI.

Conditio quoquæ mutandæ religionis in censum turpium

pium referenda, licet quistali legato ad veram & verbo  
Dei convenientem religionem invitetur.

## CLVII.

Quamvis verò conditio, si non nupseris, per se turpis non sit, quia tamen bono publico obest, & non rarò turpitudini committendæ ansam præstat, hinc similiter remittitur, & legataria ad legatum admittitur. Imò & jusjurandum eo nomine præstitum remitti solet.

## CLVIII.

Non tamen pater filium ob transitum ad aliam in Imperio receptam religionem exheredare, sive alimenta denegare potest. Quod & verum, si filius sine patris consensu connubium iniit.

## CLIX.

Implenda tamèn ex asse, si ad certum tempus restricta, vel si certam personam aut certum locum respiciat. Sic etiam amittitur legatum, & servus fit liber, quando ejus ususfructus sub conditione viduitatis mulieri relictus, & ea iterum nupserit.

## CLX.

Præterea notandum prædictam conditionem de non nubendo Jure Novellarum ita valere, ut si maritus uxori eam imposuerit, hæc à secundis nuptiis vel relicto abstinerentur debeat.

## CLXI.

Tradita modò non pertinent ad casum, quo condition non legatariam, sed tertiam quandam sive extraneam personam concernit, tum enim subsistit, ejusque implementum omnino expectandum est.

D 3

## CLXII.

( 30 )

CLXII.

Contractuum circa turpes conditiones longè alia est ratio, protinus enim per earum adjectionem vitiantur & nulli redduntur, licet in non faciendo consistant. Unde si stipulatio flagiti committendi aut commissi remunerādi causa, concepta fuerit, statim ab initio inutilis existit.

CLXIII.

Si tamen promissor stipulatori sub conditione juris-jurandi, si Romam iturus sit, decem promiserit, valet conditio, & juramentum servandum est.

CLXIV.

Quod secus est in ultimis voluntatibus, quippe in quibus conditio jurisjurandi pro turpi habetur, ita ut remisso juramento heres id, quod in conditione est, facere aut dare debeat.

CLXV.

Quia tamen ejusmodi conditio per se turpis non est, sed ex accidenti turpitudinem, puta vel contemptum religionis vel nimiam superstitionem inducere potest, hinc heredi integrum est, sponte juramentum suscipere & præstare.

CLXVI.

Ad similitudinem contractuum; feudum quoque sub conditione servitii turpis ac dishonesti præstandi constitutum est nullum. Si tamen vasallo traditum fuerit, isq; consueta paratus sit præstare servitia, non poterit ei adimi.

CLXVII.

Aliter observatur in casu, quo constitutio quidem sub licitis serviis facta, pacto tamen adjecto turpia quædam

dam ulterius promissa sint; tum enim feudum valet, pa-  
cium verò pro non adjecto habetur.

## CLXVIII.

Tametsi honor & nobilitas parentum in liberos  
transmittatur, turpitudinis tamen infamiae & maculæ pa-  
ternæ nulla est transmissio.

## CLXIX.

Maritus jus lucrandi dotem propter turpitudinem &  
adulterium uxoris transmittit ad hæredes, quando scivit,  
& indignationem vel expellendo vel aliâ ratione conte-  
status est. Si verò tacuit, vel prorsus ignoravit, jus trans-  
missionis cessat.

## CLXX.

Heres fiduciarius turpiter bona fideicomisso sub-  
iecta dissipans, tenetur fideicomissario etiam conditionali-  
ca ante conditionis eventum ea restituere, si vel fatisatio  
remissa vel per eam non satis prospectum fuerit, ita ta-  
men, ut interim fiduciario egenti alimenta prætentur.

## CLXXI.

Filia dotem propter turpitudinem, veluti adulterium  
amissam, conferre tenetur. Idem obtinet, si furto culpam  
ejus præcedaneam habente, perdidit.

## CLXXII.

Turpissimum est, parenti infaustas voces & manus im-  
pias inferre, adeò ut licet filius propterea exheredatus non  
fuerit, tamen ceu indignus hereditate paternâ privari  
possit.

## CLXXIII.

Libertis turpes operæ imponi nequeunt. Unde me-  
retrix

retrix, licet post manumissionem quæstum corpore facere  
pergat, non tamen à patrono ad ciusmodi operas cogi  
potest.

## CLXXIV.

Spuriis incestuosis, nefariis & adulterinis liberis jus  
succedendi ab intestato, propter coitus turpitudinem non  
competit. Qui verò ex matrimonio putativo, etiam ince-  
stum in linea recta inferente, nati sunt, & legitimi & ad suc-  
cedendum habiles sunt.

## CLXXV.

Hinc uxor putativa gaudet privilegiis veræ uxoris  
quoad dotem & prælationis privilegium, valetque substi-  
tutio pupillaris facta filio ex matrimonio putativo proge-  
nito, etiam propter solam unius conjugis bonam fidem.

## CLXXVI.

Provisionale remedium in causa notoriè injusta locū  
non habet. Quocirca pastor turpitudinis apertè convi-  
ctus, ab eo, qui iura habet Episcopalia, illicò removeri po-  
test. Si verò institutâ inquisitione vel accusatione suspen-  
sus fuerit, congrua interim alimenta ei debent decerni.

## CLXXVII.

Turpe unius ex correis factum, veluti si equum pro-  
missum occiderit, alteri quoque nocet,

## CLXXVIII.

Fidejussor licet fidem datam turpiter rumpat, non ta-  
men eapropter à creditore publicè traduci, aut publicâ  
acclamatione diffamari, vel etiam obligatio locis inhone-  
stis affigi debet.

## CLXXIX.

Sit tamen mediante juramento intervenerit & fefel-  
lerit,

( 33 )  
lerit, perjurus & infamis efficitur, nisi celeri satisfactione  
moram purget, vel impossibilitate aut difficultate inevi-  
tabili excusetur.

CLXXX.

Insignes latrones, seditionum concitatores vel duces  
factionum propter turpissima & scelestissima facta appelle-  
lare non possunt. Quod hodiè in quibusvis criminosis  
procedit.

CLXXXI.

Turpis conditio sententiam ipso jure nullam reddit,  
ut statim pro tali declarari possit, neque appellationis re-  
medio opus sit.

CLXXXII.

Turpitudo non liberat à jure sequelæ. Quare banni-  
ti quoque sequelam præstare tenentur, dummodo non  
sint banno majori puniti.

CLXXXIII.

Dominus civem præterquam ob turpitudinem rele-  
gatione dignam, territorio expellere nequit. Licet tamen  
subdito sponte foro suo renunciare & emigrare.

CLXXXIV.

Legati ne ob facta quidem turpissima, nisi Prin-  
cipali permittente, ab extero puniri possunt. Quod &  
verum in legati comitibus, præterquam sponte dimisis.

CLXXXV.

Nundinarum securitate non fruuntur banniti, hostes,  
relegati, aliive malefici ac scelerati homines, cum merca-  
tus turpium personarum receptacula esse non debeant.

CLXXXVI.

Decoctores, qui turpiter & luxuriosè bona sua diss-

E pârunt,

párunt, de jure proxenetæ partibus fungine queunt. Hodiè tamen hoc munus non raro obire deprehenduntur. Banniti quoque & excommunicati protinus arcentur, non tamen deportati.

## CLXXXVII.

Quanquam in matrimonii conciliandis non raro adhibeantur pronexetæ, quandoque tamen pro formosa deformem, pro divite pauperem, pro sana morbosam, probene morata turpem, quin & pro virgine devirginatam commendant & obtrudunt, calliditatis proinde & dolosæ reticentia nomine omni casu tenentur, postremò vero ipsum quoque matrimonium rectè dissolvitur.

## CLXXXVIII.

Facta naturaliter vel civiliter turpia proxeneta non admittunt, in tantum, ut si de facto intervenerint, ut plurimum poenam delicti sive publici sive privati ordinariam sustineant.

## CLXXXIX.

Eandem ob rationem vasallus, si domini uxorem turpiter de oscularus fuerit, amittit feudum, etiam si clericus fuerit. In turpi tamen indecoro & libidinoso osculo deprehensa mulier neque interfici, neque dote & matrimonio privari potest.

## CXC.

Turpes quoque actiones occurunt, inque usu juris dicuntur, quæ ex delicto descendunt & infamia inferunt. Unde quin furti actio, etiam super reminima, quin & propter famem ablata, intentata, turpis dicenda, dubium non habet, quanquam jura certis ex causis permittant, barbaris aurum subtili ingenio auferre.]

## CXCI.

## CXCI.

Hodiè cùm fures ultimo sive laquei supplicio, justissimo sanè & cum lege divina compatibili, affiantur, tanto minus deturpitudine accusationis dubitandum est. Quod haud dubiè in delicto quoque rapinæ procedit.

## CXCII.

Injuriarum quoque vindicationem sive civilem, sive criminalem, sive publicam turpem esse constat, & quia turpi & luxurioso osculo invitæ virginis vel uxori extorto pudicitia attentatur, hinc desuper quoque injuriarum agi potest.

## CXCIII.

Recantatoria injuriarum actio inter turpes vulgo non refertur. Cùm tamen parùm honorificum sit, se ipsum mendacii arguere, non potest non recantantis existimatio apud graves & honestos viros onerari, nisi expressè ea reservata.

## CXCIV.

Ex certis quoque delictis innominatis turpes oriuntur actiones, cuiusmodi est actio servicorrupti & doli mali, neutquam verò condic̄io furtiva & actio rerum amotarum, quamquam posterior ob fundamenti turpitudinem famam & honorem nonnihil surgillet.

## CXCV.

Idem de actionibus ex quibusdam contractibus nascientibus, dummodò dolum non latam culpam persequantur, dicendum. Turpis tamen qualitas cum defuncto extinguitur, ipsa verò, actio propter dolum à defuncto commissum contra heredes in solidum datur, licet nihil ad eos pervenerit.

E 2

## CXCVI.

7159.

36

CXCVI.

Nullam turpem actionem & accusationem vasallus contra dominum intentare potest, exceptâ perduellionis accusatione.

CXCVII.

Interdicta non dantur turpia. Ne tamen existimatio parentis & patroni gravetur, non potest interdictum unde vi contra ipsos intentari, nisi vim armatam intulerint. Quod & verum in dominis feudi.

CXCVIII.

Accusationes vel maximè turpes esse constat. Relatio tamen ob excessum in defensione commissum dictata, infamiam non irrogat.

CXCIX.

Turpitudinem accusationi obstare constat. Qua de causa falliti quoque & bancæ ruptores reum alicujus criminis deferre nequeunt, præsertim si subsecutâ subhastatione decoctionis publicè quasi sint damnati.

CC.

Evangelicam denique denunciationem pro remedio subsidiario, summario, & cuius vigore adversarium ad rei injustè seu turpiter acquisitæ & haætenus retentæ restitutionem per Judicem Ecclesiasticum compellere possimus, neutquam agnoscimus, sed vim atque efficaciam ejus in hoc saltem, ut charitativâ eâque binâ correctione spretâ, peccatum Ecclesiæ ad finem pœnitentiæ denunciari possit, positam esse arbitramur.

F I N I S.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-544523-p0039-1

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-544523-p0040-3

DFG


**ULB Halle**  
006 301 096

3



V3/17





**Farbkarte #13**

B.I.G.



3003  
15  
1679, 2.  
*DISPUTATIO* 39 15  
*INAUGURALIS JURIDICA,*  
*Exhibens*  
*EA, QUÆ CIRCA*  
*TURPIA JUSTA SUNT,*  
*Quam,*  
*DEO cœlitus benedicente*  
*Ex*  
*Authoritate ac Decreto*  
*Magnifica, Nobilissima ac Excellentissima*  
*Facultatis Juridicæ in Inclita Academias MARPURGENSI,*  
*Pro*  
*Summis in utroque jure Honoribus & imunitatibus*  
*DOCTORALIBUS ritè ac solenniter*  
*adipiscendis,*  
*Publicæ Senatus Academicæ Ventilationi sicut*  
**JOHANNES HENRICUS**  
**VETTE, Osnabrugensis.**  
Addiem Junii, ANNI M. DC. LXXIX.  
*Loco horisq; solitis.*  
Marpurgi Cattorum,  
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.